



Boehmer Trag. 1798 hr. id. ist hinter } eingeklammert.  
1798 hr. 4<sup>b</sup> o. d. a. M. " "  
" nr. 1<sup>c</sup>





QVATENVS  
INFAMIA A FEVDO SIVE ACQVI-  
RENDΟ SIVE RETINENDΟ

PROHIBEAT?


OBSERVATIONES IV.

S C R I P S I T  
ET  
P R A E S I D E  
CAROLO SALOMONE ZACHARIAE

I. U. ET PHIL. D. I. FEVD. P. P.  
DIE XIX. MENS. IVL. A. CICIOCCXCVII.

D E E N D E T  
CAROLVS FRIDERICVS HORNEMANN  
L V S A T V S.

VITEBERGAE  
LITERIS CHRISTIANI PHILIPPI MEITZERI.



OBSERVATIO I.

DE INFAMIBVS, QVATENVS FEVDORVM  
INCAPACES DICI POSSINT?

**I**nfamia iuris qui laborent, (neque enim de infamia facti, quippe cui vix ulla in iura ciuium vis est, nec de levis notae macula, de qua ii factis dixisse videntur, qui de iure illegitimum acquirendi feuda dixerunt, hoc loco dilputabitur) iure communi feudorum incapaces esse, ICti, qui hunc locum attigerunt, tantum non omnes contendunt. Cf. Herm. Vulcej. de feudis L. I. c. 7. n. 73. Lud. Schraderi tract. feud. P. IX. c. 3. n. 70 sqq. quicque ibi laudantur Henr. a Rosenthal tract. j. feud. Cap. III. concl. 23. n. 4. et C. X. concl. 36. Horn in jdptia feud. C. V. §. 56. Phil. Spel de clypeis militar. German. (Norimb. 1736. 4.) P. I. §. 81. I. G. Bauer de personis communis Saxontum matiuſ capacibus. Lips. 1748. et in opuscul. Tom. II. c. 19. pag. 58. Püttm. in elem. iur. feud. C. VII. §. 167. Boehmer in princ. j. feud. §. 92. aliosque, a quibus tamen quodam certe modo dissentient Titius in j. feud. Germ. §. 77. et Langguth ad Cocceji hypomn. iur. feud. tir. 4. §. 12. Cum autem ius Langobardicum de infamia, quatenus sit feudi amittendi causa, fileat, (licet ex II Feud. 26, 11. argumentum contra infames non inepte ducere possit,) praeterea ICti, alii aliam rationem fententiae modo laudatae reddant, placet eandem, et fundamentum, quo nititur, denuo sub examen revocare. I.) Ex §. 4. A. V. de Bn. I. F. S. art. 2. I. F. A. 1. 4. fententiam illam, quae infames iure communi a feudis arceret, confirmari non posse (quod tamen a Boehmero et Püttmanno locis supra laudatis factum est) facile intelligitur, cum inter omnes conflet, collectiones illas hodie quidem pro fonte iuris communis haberi non posse. II.) Sed placet antiquorum ICtorum fententia, qui ex iure Romano fententiae rationem repeterunt. Etenim a) quaestio, de qua agitur, ex iure Romano omnino decidi potest, quippe quod, si iustitia similitudo inter mores Romanorum et instituta feudalia intercedat, ad haec recte transferri possit. Cf. Schnaubert in comment. ad Boehm.

piunc. iur. feud. §. 10. p. 16. ed. II. Intercedere autem b) talem similitudinem, duplice modo videtur ostendi posse. 1) Vassalli militibus eantibus certe recte aequiparantur, quod, qui in numero militum esse nequeunt, nec vasalli esse possunt. Nam quamquam hodie servitia militaria a vassis rarius exigantur, obligatio tamen militandi sub auspiciis domini directi minime extincta est. Iam cum infames a militia prohibeantur l. 2. D. de his, qui not. inf. iidem neque feudorum capaces esse possunt, praesertim cum vasallorum exercitus honoratior haberetur et habeatur, ita, ut olim soli nobiles in hoc exercitu militarent, cf. I. F. S. art. 1. I. F. A. c. 1. A. V. de B. §. 3. Ledderhoſe de iure ingenuorum acquirendi feuda, in Zepern. Anal. j. f. T. II. Hal. 1784. n. 30. p. 176. et feuda honoris honorumve appellatione venirent. Cf. Gangii Gloſſar. v. honores. 2) Praeterea vassus eius profecto conditionis esse debet, ut munus publicum honoresque suscipere et administrare possit, cum ad servitia aulica et iudicaria, quae dicuntur, obligatus sit. Iam infames a dignitatibus et honoribus prohibentur l. 2. et 12. C. de dignitate, itaque iidem nec feuda acquirere possunt. Nec vereor, ne, quae de beneficio competentiae, vassallo minime tribuendo disputat Struben in libro: Rechtliche Bedenken, Tom. I. resp. 6. contra fententiam, quae a me defensa est, iure afferantur. Recte vir sumpus negat, beneficium illud vassallis hac ratione tribui posse, quod sint milites. Quanquam enim leges feudales, quae et statu pristino vasallorum repetenda sunt, nec hodie vim suam perdant; tamen si quis ius Romanum ad beneficia transferre velit similitudinem, etiamnum veram, inter feuda et illud institutum, cuius lex ad feuda transfertur, desiderari. Recte, quam haec omnia disputata sunt. Sed hoc certe loco vera inter mores Romanorum nostrisque similitudo deprehenditur. Etenim obligatio ad servitia, tam militaria, quam aulica et honoraria praefienda, vere adhuc in beneficiis nostris deprehenditur. III.) Ex iis, quae hactenus disputata sunt, simul intelligitur, in feudis nobilibus tantum infamiam a feudo sive acquirendo sive retinendo prohibere; neque idem ad plures feudorum inpropriorum species, cf. Schnaubert l. l. §. 93. vel ad feuda rusticorum v. Horn. pdt. fnd. c. V. §. 36. transferri posse. Quodsi tamen haec rusticorum feuda ita conceduntur, ut vassalus febini iudicisve munere fungatur, (Cf. Chrift. Wildvogel de fendo feultetico

tetico in Ien. thes. j. f. T. III. pag. 192. — C. E. Hier. Struv de feudis scultetorum, 1776, et C. A. a Braun über die Lehre von den uneigentlichen Lehen in Zepern. Samml. a. Abh. z. L. R. P. III, n. 10. pag. 222.) infames ab acquirendo retinendove eiusmodi feudo recte arcentur, quod maioribus etiam placuisse, patet ex I. F. S. art. 65. IV.) Ius Saxonum electorale in hac re a iure communis discessione facere haud videtur, (nisi huc referre velis, quod eadem omnia ad simultaneae investitios transfert,) cuius rei argumentum partim ex Mandato feudali de ao. 1764. tit. 1. §. 11. partim ex I. F. S. art. 2. peti potest: cuius auctoritas iisdem fundamentis nisi videtur, quibus auctoritas Speculi Saxonici confirmatur. Cf. Kindii qu. fer. Tom. I. c. 64. V.) Denique si infames fendorum incapaces esse dicimus, id hanc vim habet, ut tam a feudo sive prima investitura, sive successione acquirendo, quam a retainendo prohibeat. Quod autem a Bauero l. l. §. 19. exemplum commemoratur, vasallum infamia notatum ad feudum vendendum suisse iudicis imperio adactum, id quidem inde repetendum est, quod vassus, qui quaestione de ipso habita, absolutus fuerat, pro infami vix haberetur. Etenim vasallum infamem feudo ita privari, ut id ad successores legitimos pertineat, certissimi iuris esse videtur.

## OBSERVATIO II.

## VASALLVS VTRVM IPSO IVRE AN PER SENTENTIAM IUDICIS FEVDO EXCIDAT?

Vix digna videri possit quaesilio a nobis proposita, de qua diligenter dilutetur, cum inter omnes confite, hodie nemini infamiae poenas infligi, nisi sententia iudicis praecesserit, cf. Chrift. Gottl. Einert, D., praeter unam mediata m iuris infamiam nullam existere infamiae speciem, L. 1777. §. 7. At vero nunc minime de eo quaeritur, utrum quis sine sententia, qua aliqui infamia innita, vel poena, que famam laedit, iniuncta est, a feudo sive acquirendo sive retinendo prohiberi possit; quod nullo modo fieri posse, nemo negaverit; sed illud nunc in quaestione est, utrum, si talis sententia extet, novo iudicio novaque sententia opus sit, qua' vasallus feudo privetur, nec ne? Et contentunt ICti plerique omnes in hoc, opus esse tali sententia, nisi priori bona rei sint

publicata, hoc maxime nisi argumento, quod amissio honorum ipso iure infamiam hanc subsequatur. Cf. Schraderi tr. feud. P. IX. C. III. n. 72 et 73. et Rosenthal de feudis C. X. concil. 36. n. 47 lqq. Parum tamen abest, quin in sententiam contrariam abeam. Etenim 1) si quid ex poena per sententiam irrogata, vel ex iure, quod quis per sententiam sibi vindicare potest, ipsa lege auctore consequitur, non tam a iudice, quam ab eo, penes quem sententiam exequendi ius est, auxilium impetrandum est. Legis autem vim habet, quod ex probabili legis interpretatione deducitur. 2) Si quis infamia notatus honores ipso iure amittit, quae ICorum sententia cf. Schrader l. l. aequitati omnino convenire videtur, nihil prohibet, quo minus eodem modo feudo vel successione in feendum excidat. 3) Si concedas, dominum directum primam feudi investituram eiusve renovationem infami denegari posse (quod certe iure Sax. licere, constat ex Mand. feud. tit. 1. §. 11.) vix est, quod vasallum infamem possessione feudi (vel in Saxonia simultanea investitura) vel sine sententia iudicis privari posse neges. Denique, si iniuria se affectum esse existimet, restitucionem in integrum recte postulabit.

## OBSERVATIO III.

**INFAMIA PATRIS VTRVM LIBERIS OBSIT,  
NEC NE?**

In disputatione de liberis ob feloniam patris a feudo excidentibus inter veram et quasi feloniam recte distinctum est. Si pater feloniam veram admisit, filius successione in feendum recte privabitur II. F. 31. II. F. 26. §. 17. quippe quod pater non in poenam, sed in re civili, conditione, qua feendum concessum est, resoluta, privetur, licet alia omnia de hac ratione sentiat Boehmer: in tr. de nat. expect. et invest. feud. c. 5. §. 120. in ej. Elect. j. feud. Tom. II. Lemg. 1796. 4. Si quasi feloniam, filius in feendum succedit, quippe quod patri in poenam auseratur. Cf. Boehm. in princ. j. feud. §. 358. quae sententia apud nos Confl. el. 27. P. III. confirmata est. Nam cum, qui propter infamiam feudo excedit, delicti commissi causa feundo privetur, profecto, quae de liberis ob quasi feloniam patris feudo (sive, iure Saxonico, simultanea

in

investitura) minime privandis disputata sunt, eadem ad quaestioneum propositam recte transferuntur. Quodsi liberi investituram, notato patre, haud petierunt, (quod certe in simultanea investitura facilissime evenire potest;) feudi succelio ad agnatum proximum transibit, (vel simultanea investitura excedit,) nisi vel ob minorem aetatem, vel quod in patria potestate erant, restitutionem in integrum postulare possint. Denique si vel neutra excusatione uti queant, tamen principis gratia haud indigni esse videbuntur, si pietate in patrem, hoc vivo, renovacionem investiturae haud petierint.

## OBSERVATIO IV.

VTRVM LICEAT DOMINO DIRECTO FEVDVM  
INFAMI SIVE CONCEDERE, SIVE RE-  
LINQVERE?

Si quaeritur, utrum dominus directus personam feudi incapacem ad eius acquisitionem admittere possit, nec ne, inter primam feudi investituram, et inter successionem in feudum, retinendamne feudi iam acquisiti possessionem iure meritoque distinguitur. Quodsi de prima feudi investitura agitur, dominum directum vel cum incapablem contractum feudalem inire posse, recte respondent, nisi lex, quae dominum directum id facere prohibeat, adsit. Sic foeminae, mutuo et furdo, feendum, si velit, concedere potest. Contra ea feendum personae ignobili, vel religioni per provinciam dominantis haud addictae concedere nequit, ubi pacto vel civitatis forma id facere prohibetur. Iam cum lex non prohibeat, quo minus dominus directus, si ita videatur, infamem in numerum vasallorum recipiat, recte Schrad. P. IV. c. 3. n. 7. Horn l. I. c. V. §. 36. aliquie existimant, feendum a domino directo, etiam infami concedi posse. Nec caeteris domini directi vasallis ius prohibendi tribuere possit, modo ne cogantur una cum illo homine nequam stipendia facere. Quodsi de successione in feendum eove retinendo quaeritur, has equidem regulas, quibus ius domini directi circumscribatur, constituerim: Non potest dominus directus ad successionem in feendum admittere, feudumne iam acquisitum relinquere, 1) quos a fe-

hand

haud admissumiri, in contractu feudali sponpondit (e. g. foeminas in  
feudo masculino), nec 2) eos, qui ipsi lege a feudis acquirendis prohi-  
bentur (v. c. monachos, clericos). Potest autem admittere eos, qui  
ipsi quidem a feudis acquirendis haud prohibentur, quos tamen domi-  
nus directus invitus in numerum vasallorum recipere haud cogitur,  
quo eos refero, qui animi corporisve vitio laborant. Iam infames ad  
eas personas refereendas esse, qui ipsi, ut poenam criminis luant, a feu-  
dis prohibeantur, intelligitur. Itaque dominum directum, nisi princi-  
pis personam gerat, et privilegio famam restituere velit, infami, nec suc-  
cessionem in feudum concedere, nec feudum iam acquisitum relinquere  
posse, existimaverim.





Wittenberg, Diss., 1796-98

vd18

f



56.



B.I.G.

Black

White

3/Color

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Inches

Centimetres

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19

Farbkarte #13

QVATENVS

A FEVDO SIVE ACQVI-  
O SIVE RETINENDO

PROHIBEAT?

SERVATIONES IV.

741

75

20

1797.3

S C R I P S I T

E T

R A E S I D E

SALOMONE ZACHARIAE

E T PHIL. D. I. FEVD. P. P.

MENS. IVL. A. CICIOCCXCVII.

D E E N D E T

RIDERICVS HORNEMANN

L V S A T V S.

VITEBERGAE

CHRISTIANI PHILIPPI MELTZER.